153

INCIP ARS ASPERI DE OCTO PARTIBUS ORATIONIS

PARTES ORATIONIS SUNT OCTO NOMEN PRONOMEN
uerbum aduerbium participium coniunctio praepositio interiectio.
Nomen est pars orationis. Nomini accedunt sex qualitas conparatio
genus numerus figura casus. Qualitas nominum bipertita est quia
aut appellatiuum est nomen aut proprium. Proprium est ut hierusalē
iordanis sion. Appellatiuum est ciuitas fluuius mons. Proprium est
similiter michahel petrus stephanus isaias aaron. Appellatiuum est
angelus apostolus martyr propheta sacerdos rex. Conparationis gradus
sunt tres positiuus ut scs. conparatiuus ut sanctior. superlatiuus ut sanctis
simus. Positiuus similiter fidelis affectuosus. Conparatiuus
fidelior doctior sapientior affectuosior. Superlatiuus fidelissimus doctis
simus sapientissimus affectuosissimus & his similia. Sciendum est tamen
quod non omnia nomina per omnes gradus flectuntur. Aliquando positiuus gradus
tantum inuenitur ut mediocris quia mediocrior & mediocrissimus dici non
possunt. Aliquotiens positiuus & conparatiuus ut senex senior. nam senissi
mus dici non potest. Interdum positiuus & superlatiuus ut pius piissimus quia
pior dici non potest. Superlatiuus gradus cui casui seruit? Genetiuo tantum
plurali. Ut si dicas praeeminentissimus prophetarum esaias aut sapientissimus
regum salamon. Praeeminentissimus enim uel sapientissimus gradus superlati
ui sunt. Prophetarum uel regum declinatio est genetiui casus sub plurali
numero. Genera nominum sunt quattuor masculinum femininum ne
utrum commune. Masculinum ut hic iustus. femininum ut haec aecclesia.
neutrum ut hoc ieiunium. Commune duobus generibus inuenitur ut hic
& haec sacerdos uel hic & haec dies uel hic & haec finis. Est praeterea triumgene
rum quod commune dicitur ut hic & haec & hoc ingens felix prudens. Est epi
cenon nomen promiscuum ut uultur ardea apister uel aquila. Quia cum pro
miscuus sexus sit nec uulturem aut ardeum nec apistrum aut aquilum dicere pote
rit haec ratio est & in reliquis auium nominibus seruanda. Numeri nomi
num sunt duo singularis & pluralis. singularis ut hic iustus. pluralis ut hi iusti.
Figurae nominum sunt duae simplex & conposita. simplex ut doctus potens
conposita ut indoctus inpotens. Casus nominum sunt sex nominatiuus
genetiuus datiuus accusatiuus uocatiuus ablatiuus. Per hos casus omni
um generum nomina pronomina participia declinantur hoc modo;. ut
[illegible] nomen appellatiuum est generis masculini numeri singularis figurae

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_1746/0313